



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]

XIX. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

S. Josephus , si quisquam é mortalibus , fuit
 Mariæ amans, ejus Virginitatis custos & te-
 stis. O quot purissimi amoris argumenta edi-
 dit , recepitque à Maria Virgineus Sponsus!
 Quis mutui inter eos amoris magnitudinem,
 ardorem, sublimitatem assequatur? Non habe-
 bat amaritudinem hæc conversatio. Maria
 gaudium Josephi, Josephus solatium Mariæ,
 hæc ut viventi, ita & morienti semper adfuit
 individua. *Ex vita.* Nemo Virginis Sponsus,
 nisi Virgo.

O Sanctissime Nutritie Jesu , & lectissime
 sponse Mariæ , Patrone mihi charissime S. Jo-
 sephe , te in agonis mei tutelarem eligo, nemo
 te beatius, quia inter Jesu & Mariæ manus, ex-
 pirasti. Eosdem tu mihi redde propitios, ut in
 tenerrimo vestri amore indefinenter cresciam,
 vestro me totum credam patrocinio , & in
 Sanctissimorum Vestrorum nominum inge-
 minatione vitæ cursum absolvam. O Sanctissi-
 ma Dei, & mea, Mater pretiosissima! &c. f. 2.

Ad quod impetrandum Sanctissimæ Virgi-
 nis Sponsam specialius hodie veneraturus ,
 meos Marianis ejus affectibus sociabo.

Non solum supplicantes exaudit Virgo Dei-
 para; sed, ut ex sua clementia consuevit , etiam
 supplicare volentiū preces prævenit. *Conc. Basl.*

Quæstio : Quando Sanctus Joseph obierit?
v. Barrad. 10.2. in Ev. 1.3.6.1.

XX. MAR.